

Q. D. B. V.
DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA,
DE
BAPTISMI MINISTRO,
OBJECTO, TEMPORE,
ET LOCO,

Quam
In illustri ad Albim Academia,
Sub Præsidio

VIRI
SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI AC
EXCELLENTISSIMI,

DN. JOH. ANDR. QVENSTEDT,

SS. Theol. Doctoris, ejusdemque Prof. P. longè celeberrimi,
mi, ut & Electoralium Alumnorum Ephori
multò gravissimi,

*Domini Patroni, Præceptoris & Promotoris, omni, quo
par est, honoris, ac observantia cultu in perpe-
tuum colendi, devenerandi,*

Publicæ Eruditorum Censuræ committit

JOHANNES STEINMEYER,
Verdenfis.

In Auditorio Majori,

Ad diem XXIV. Martii M DC LXXXIV.

Horis antemeridianis.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Coll. diss. A
211, 12

Coll. Diss. A. 211(12)

VIRO,
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
atque EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNI
DIECMANNO,

SS. Theol. Doctori longe Celeberrimo,
S. R. M. per Ducat. Brem. & Verd. Superintendenti Generali
Eminentissimo ac Consistorii Regii Assessori
Gravissimo,

PRÆCEPTORI OLIM, JAM PATRO-
NO ATQVE FAUTORI SUO SUMMO, ob pater-
num affectum & singularem benevolentiam filiali cultu in
perpetuum colendo, devenerando,



Hocce studiorum specimen

*Grati animi debitæq; observantia ergo,
ea, quæ par est, submissione
consecrat*

TANTI VIRI

Observantissimus obsequiosissimus

JOHANNES STEINMEYER.

De Baptismi Ministro.

§. 1.

Primus ut Evangelii, ita & Baptismatis in N. Test. minister *Johannes* fuit, qui etiam inde καὶ ἔξοχῶν & ἀπονομαστικῶς *Baptista* dicitur, præter Johannem baptismum administrarunt primitus, ex Christi, (qui suis manibus neminem baptizavit, Joh. IV. 2.) mandato Matth. xxviii. 19. *Apostoli* & viri Apostolici, ut *Petrus*, Actor. II. 41. *Philippus Diaconus*, Actor. VIII. 38. *Ananias*, (qui Paulum tinxit,) Actor. IX. 18 *Paulus* qui *Crispum*, *Cajum* & *Stephanæ* familiam I. Corinth. I. 14. 16. *Lydiam* Actor. XVI. 15. & custodem carceris *Philippensis* v. 33. &c. baptismate Ecclesiæ Christi inseruit. In primitivâ Ecclesiâ baptismi administratores ordinarii erant Verbi ministri h. e. *Episcopi* & *presbyteri*, quandoque etiam *Diaconi*. Epistola ad *Smyrnenenses* (quæ *Ignatio*, qui sub initium seculi secundi martyrium Romæ fecit, adscribitur, attamen supposititia est cum cæteris ipsi tributis, vel interpolata & corrupta,) asserit, quod non liceat sine *Episcopo* baptizare. Eodem modo *Tertullianus* lib. de Baptif. cap. xvii. ait, *Dandi* (baptismum) *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc*

Presbyteri & *Diaconi*, non tamen sine *Episcopi* autoritate. Ast Apostolorum ætate, & quidem per duo Ecclesiæ nascentis secula, (ut censeat *Salmasius* de Primatu Papæ in Appar. pag. 307.) nulla erat inter *Episcopum* & *Presbyteros* differentia, postea verò unus de *Presbyteris* præpositus cæteris est, non divino instituto, sed humano consilio, isq; dictus est singulariter *Episcopus*, *Presbyteri* verò nomen apud reliquos remansit, ut alibi diximus. *Epiphanius* hæresi 79. quæ est *Collyridian.* cum dixisset, nulli fœminæ, ne diaconissis quidem baptizare licere, addit; *ne ipsis quidem Diaconis hoc concessum: sed solis Episcopis* & *Presbyteris*. *Hieronymus* in Dial. adv. *Luciferianos* in personâ orthodoxi inquit, *Inde venit, ut sine Episcopi jussione, neq; Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi. Pseudo-Clemens* etiam asserit lib. III. Constitut. cap. xi. *Episcopos* & *Presbyteros* solos divinitus vocatos esse, ut prædicent Evangelium & baptizent; *Diaconorum* verò munus esse, *Episcopis* & *Presbyteris* ministrare. Ordinariè itaq; in primitivâ Ecclesiâ *Episcopi* & *Presbyteri*, sacrum baptizandi munus exsequuti sunt,

A

funt,

DE BAPTISMI MINISTRO.

sunt, interdum tamen id ipsum *Diaconis* quoque est concessum, illis scilicet qui ad hoc etiam fuerant vocati, ut opitularentur pastoribus in ministerio Verbi. Quibus verò locis non vocati etiam essent ad predicandum populo, iis nec baptizare concedebatur, ut observat *Vossius* Disput. IX. de baptif. thes. 3.

§. 2. In extremo verò necessitatis casu cuilibet Christiano citra sexus respectum licitum fuisse administrare baptismum ex antiquitate constat; *Tertullianus* cap. 17. de Baptifmo, eum conferre aliis posse ac debere Laicos necessitatis lege ita jubente, his docet verbis; *Alioquin & Laicis, jus est, (baptizandi,) Quod enim ex aequo ab omnibus accipitur, ex aequo ab omnibus dari potest.* Hinc *Calvino* (qui tamen & sententiae & praxi huic se acriter opponit) vis veritatis hanc confessionem expressit Lib. IV. Institut. cap. xv. §. 20. *multis ab hinc seculis, adeoque ab ipso ferè Ecclesiae exordio usu receptum video, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset.* Et fatetur *Rivetus* in Cath. Orthod. tract III. quæst. 7. *Tertullianum existimasse de Laicis non quemvis virum, at tamen quemvis baptizatū posse baptizare in casu necessitatis.* Patres Hisp. in Conc. Illiber. quod Niceno ipso paulò est antiquius, penè idè sentiunt Canone 38. quod *Tertullianus, Me-*

minit eorum rei *Walaf. Strabo* lib. de reb. Eccles. cap. 24. his verbis: *Concilio quoque Eliberitano fidelibus plenum baptismum habentibus in necessitate baptizare permittitur.* Canon ipse ita habet; *Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, (qui lavacrum suum integrum habet) nec sit bigamus, (Miratur hoc Petavius in notis ad Epiphani. inquit; Ergone à bigamiis baptizari in tantà necessitate non licuit?) baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit.* *Ambrosiaster* in cap. 4. Ephes. testatur; *Olim & Laicos & Clericos baptizasse, propter paucitatem ministrorum.* *Hieronymus* Dial. adv. Lucifer. *Scimus, ait, licere Laicis baptizare, si necessitas cogat, ut enim accipit quis, ita & dare potest.* Dubitanter hac de re loquitur *Augustinus* lib. II. contr. Epist. Parmen. c. 13. Tom. VII. col. 41. *Et si, inquit, aliqua (Sacramenta scilicet sermo est de baptifmo) pereuntem dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dandum esse addidit, nescio an pie quisquam dixerit, esse repetendum.* *Nulla enim necessitate cogente si fiat, alieni muneris usurpatio est, si autem necessitas urgeat, aut nullam, aut veniale delictum est.* Idem in Epist. ad Fortun. *In necessitate cum Episcopi, aut Pres-*
byre-

DE BAPTISMI MINISTRO.

byteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus, qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat, etiam Laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire. Isidorus lib. II. de Offic. cap. 24. Constat, inquit, baptisma solis Sacerdotibus esse traditum, ejusque mysterium nec ipsis Diaconibus experere est licitum, absque Episcopis vel Presbyteris, nisi illis absentibus ultima languoris cogat necessitas, quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de seculo evocetur. Per Laicum verò hic intelligimus, ex Pontificiorum loquendi consuetudine, hominem privatum, Clerico, seu ministro Ecclesiae contradistinctum, tam masculum, quam foeminam. Hæc ergò de baptismo Laicorum communis & recepta fuit Veterum sententia. Calviniani verò, in primis Chamier Panstrat. Cath. de Baptis. Lib. V. cap. 14. §. 47. Tom. IV. Oper. & Vossius de Baptis. Disput. XI. th. 10. seq. opponunt autoritatem quorundam Patrum, Laicos, præsertim seqviorem inter illos sexum baptizare vetantiam, in primis Tertulliani & Epiphani, quorum ille lib. de Bapt. cap. 17. post verba de Laicorum Baptismo superius allata, hæc statim subjungit; *Petulantia autem mulierum* (mulieris: puta *Quinctille,*) *quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi*

jus sibi pariet. Et lib. de Virgin. velandis cap. 9. ait; *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, (1. cor. XIV. 34. 35.) sed nec docere, nec tingere, nec offerre.* Hic verò hæresi XLII. de Marcione scribit; *Permittere eum mulieribus, ut baptizent.* Eundem *γυναίκοις βαπτιστέον* damnat Epiphanius hæresi 79. Collyrid. Verum nemo non videt, dicta hæc Patrum intelligenda esse de docendi & baptizandi munere, quod citra necessitatem, ordinariis ministris non deficientibus, à mulierculis vel rapiebatur, vel eis ab aliis committebatur. Sanè apud Tertullianum Exhortat. ad Castitat. cap. VII. emendatiores Codices legunt, *Ubi Ecclesiastici Ordinis non est confessus & offers & tingvis.* Laice videl. *& sacerdos es tibi solus: Sed & ubi tres, Ecclesia est licet Laici.* Quibus verbis latinissimus ille Afer in defectu personarum Ordinis Ecclesiastici, Laicis facultatem non modò tingendi, sed & offerendi i. e. Eucharistiam consecrandi permittit. In loco de veland. Virgin. rectè observat *Parnelius*, insequentibus etiam verba illa, *in Ecclesia, ἀπὸ κοινῆ* repeti debere. Epiphanius quoque Marcionis & Marcionitarum audaciam notat, quod mulieribus baptizandi potestatem facerent, tam publicè, quam privatim, tam in casibus necessitatis, quam extra illos, sine omni discrimine. Quam

DE BAPTISMI MINISTRO.

temeritatem & licentiam profanationis & dedecoris plenam Epiphanius *ludibrium* vocat, quod Ecclesiae probro sit, mulierculas in virorum & quidem Sacerdotum munera involare, iisque non absentibus, baptismum quibusvis largiri. Eodem modo intelligendus Epiphanius est loc. cit. Ipseque Canon C. Conc. Carthag. IV. *Mulier baptizare non presumat*, scilicet ordinariè, in cœtibus publicis, nullo id periculo svadente, ministris ad id constitutis presentibus. Canon enim præcedens xcix. ita habet; *Mulier, quamvis docta & sancta viros in conventu docere non presumat*. Unde colligit Bellarminus lib. I. de baptis. cap. VII. verba illa *in conventu*, *ὑπὸ κοινῷ* repetenda esse, cum subjicitur; *Mulier baptizare non presumat*, & fatetur Vossius loc. cit. th. xv. posteriores negasse hoc *ἔπ' ἁλώς* esse intelligendum, statuereque casum necessitatis excipi debere. Subjicit etiam ibid. Vossius ita interpretari *Wass. Strabonem* lib. de reb. Eccles. c. 26. & *Lombardum* Lib. IV. sent. distinct. 6. & Gratianum de Conf. dist. IV. c. *Mulier*, hæc verba, *nisi necessitate cogente*, adjecisse, tanquam Canonis interpretamentum. Imò cum *Augustinus* illi Concilio interfuerit, dubium non est, quin necessitatis casum exceperit, cum illum tueatur libro II. contra Epist. Parmen. cap. 13.

§. 3. Baptismum ab Hæreticis

administratum quod concernit, distinguebant Orthodoxi Patres inter eos Hæreticos, qui substantialia Baptismi tollebant vel mutabant, & eos, qui ea retinebant. Qui substantialia baptismi observabant, & secundum Christi institutionem eum administrabant, licet in aliquibus fidei articulis, sive clam sive palam ab *ὁρθοδοξία* discederent, illorum baptismum validum & efficacem esse statuebant. Qui verò essentialia Baptismi, aut partem ejus aliquam substantialem mutabant vel tollebant, illorum baptismum rejiciebant. Hinc *Augustinus* lib. VI. contra Donatistas cap. 25. Tom. VII. col. 469. *Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint*. Sic Canon. XIX. Conc. Nicæni rebaptizari jubet Paulianistas (à Paulo Samosateno sic dictos.) verba Canonis hæc sunt; *De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut iterum baptizentur omnimodis*. Arabica translatio ita habet; *Si quis ex hæresi Pauli Samesatensis redierit ad fidem Ecclesie, debet iterum baptizari*. Commemorat hunc Canonem *Ruffinus* H. E. Lib. I. cap. 6. ubi concil. illius Canonem XXI. facit; *Ut Paulianistæ, qui sunt Photiniani, rebaptizentur, nimir. quia Regulam baptismatis non tenuerunt, ut ait Augustinus* lib. de hærel.

DE BAPTISMI MINISTRO.

hæres. cap. 44. h. e. substantiam, formamque Baptismi veram non retinuerunt, quum non baptizarent in nomine Christi, quippe quem *ψιλὸν ἄνθρωπον* putabant, ut annotat *Danaus* in com. lib. August de hæres. p. 966. Oper. Idem de Cataphrygibus seu Montanistis statuit Conc. Laodicenum Can. VIII. & Constantinop. I. can. VII. (sive Canone 170. universi Canonum Codicis à *Justello* editi.) *Augustinus* vel quicumque alius autor libr. de Eccles. dogmatib. cap. 52. tom. III. col. 204. *Illos, qui non sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari: neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris & Filii & Sp. S. tincti sunt.* Unde constans regula antiquitatis; *ὅσοι μὴ εἰς τὴν ἀγίαν τριάδα ἐβαπτίσθησαν, τούτους δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι.* Jam allegatum Concil. Constantinop. I. Can. VII. prohibet denuò baptizari, qui venirent ab *Arrianis*; Licet enim Filium & Spiritum S. meras putarent creaturas, non tamen baptismus in *Arrianis* iterabatur, quod formulam Catholicam in baptizando retineret. Nonnulli tamen Catholici *Arrianorum* baptism. pro illegitimo & irrito habebant, mentem baptizantium attendentes: Sic *Athanasius* Or. III. contra *Arrianos* T. I. p. 219, *Non in P. & F. tribuunt baptis-*

ma Arriani, sed in creatore & creatura & à factura & factore, εἰς κτίσιν καὶ κτίσμα, καὶ εἰς ποίημα, καὶ ποιητήν. Non hoc vult *Athanasius*, *Arrianos* istac formulâ usos esse, sed formulam ex eorum dogmate, ita exponi debere. Atque idcirco *Arrianos*, *Samosatenarios* & similes non verè baptizare statuit, cum, licet si verba illorum consideres, baptizent in nomen P. F. & Sp. S, tamen si fidem illorum cogites, liqueat, minimè id credere, vel agere quod dicant. Idem docet *Basilus* Epist. Canonicâ ad *Amphiloch.* Can. I. Quamvis verò minister occultè & privatim hæresi, institutioni ac veritati Baptismatis contrariâ v. g. *Paulianistarum* seu *Photinianorum* esset infectus, non tamen cum eo tota consentiret Ecclesia, sed apertè diversum sentiret, rectamque fidem teneret, (modò essentialia talis minister observaret, nec in externo elemento vel Verbo quicquam mutaret, agnovit Ecclesia, quod suum erat, in hujusmodi baptismo, h. e. baptismi sacramentum, quod verò alienum erat, h. e. fidei corruptelam, rejecit. Viguit in *Asia* & *Africa* sub initium seculi III. & quod excurret, error; baptismum ab iis præbitum, qui vel Schisma fecissent, vel in hæresin qualemcunque prolapsi essent, invalidum esse atque irritum. Primum hujus sententiæ autorem fuisse *Cyprianum*, ait *Euse-*

DE BAPTISMI MINISTRO.

bius H. E. Lib. VII. cap. 3. sed in eo fallitur ac fallit: Nam ante Cyprianum Agrippinus, Carthag. Ecclesiæ Episc. collectis Africae & Numidiæ Episcopis, baptizandos esse decreverat eos, qui ab hæreticis essent baptizati, ut docet ipse *Cyprianus* Epist. 71. ad Quintum & 73. ad Jubajan. item *Augustinus* de baptis. contra Donatist. Lib. II. cap. 7. & *Vincentius Lerinensis* Commonit. cap. ix. Agrippinum verò ejus in officio successor, Cyprianus cum aliis Coepiscopis suis, in hac opinione sequutus est. Atamen Donatistarum postea, & qui-

NUM. II.

dem circa initium seculi IV. exortorum error ab Agrippini & Cypriani dogmate multum differebat, & quamvis B. martyr Cyprianus humani quid in eo passus sit, dum omnium sine discrimine hæreticorum & Schismaticorum baptismum rejecit, in pace tamen unitatis esse voluit cum eis, qui de hac re diversa sentirent, nec ab aliis propter hunc errorem communionem est exclusus. Et *Augustinus* amabiliter judicat libro de unico Baptismo, dicti erroris notam martyrii falcem in sancto viro repurgasse.

De objecto Baptismi, sive baptizandis.

§. I.

Baptizandi erant vel *Infantes* seu pueruli fidelium, vel *Adulti*; adulti vel *Gentiles* vel *Judei*. Quoad Infantes, credidère Veteres, Infantes quoque concernere *generalem illam definitionem*, ut à *Tertulliano*, sive *constitutionem*, ut ab *Ambrosio* appellatur, quam Salvator uni homini, Nicodemo, & per eum omnibus inculcavit, Joh. III. 3. & 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum Dei*. Certum quoque est; Apostolos integras familias, baptizasse: Sic Paulus Stephanæ familiam à se baptizatam esse memorat 1. Cor. I. 16. Et in Actis, cap. XVI. 15.

Lydia *πορφυροπώλις* cum domo suâ baptizata est; Carceris etiam Philipensis custos tinctus esse legitur, & cœnis domus ejus ibid. v. 33. seq. In domibus autem illis & familiis infantibus fuisse, & simul cum illis baptismum accepisse, non nisi temerè negabitur. Et si mandatum est universale Matth. XXVIII. 19. (*Euntes docete omnes gentes baptizantes eas &c.*) uti revera est, quis dubitat, quin ei paruerint Apostoli? Morem verò Infantes baptizandi in Ecclesiâ Christi Apostolicam continuatâ serie sequutâ obtinuisse, innumeris testimoniis ostendi posset, si id postularetur. *Walaf. Strabo*, qui circa an. Ch.

850.

DE BAPTIZANDIS.

850. vixit, scribere non veretur lib. de reb. Eccles. cap. xxvi. *Notandum primis temporibus, illis solummodò baptismi gratiam dari solitam; qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire & intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum; quid confitendum atq; credendum; quid postremò in renatis in Christo esset servandum.* Idem sentit Ludov. Vives annot. in lib. I. August. de C. D. cap. 27. ubi ait; *Olim neminem admotum fuisse S. baptisterio nisi adultà jam etate, & cum idem ipse & sciret, quid sibi mystica illa aqua vellet, & se illà ablu peteret, nec semel peteret.* Sed contradicit illis totus Patrum chorus, & parvulorù baptismum antiquis seculis ubiq; in Ecclesià viguisse, certa res est. *Irenæus, qui vicinus Apostolorum temporibus fuit lib. II. cap. 39. de Christo ita loquitur: Omnes venit, per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos & pueros & juvenes & seniores.* Tertullianus, licet alibi aliter de parvulorum baptismo sensisse videatur, libro tamen de animà cap. 39. & 40. rectè hac de re statuit, inquit; *omnem animam usq; eò in Adam censeri, donec in Christo recenseatur, tamdiu immundam esse, quamdiu recenseatur.* Origenes Homil. IIX. in Lev. ait; *Secundum Ecclesià observanti-*

am etiam parvulis baptismum dari. Et lib. V. in cap. 6. Rom. inquit; *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare.* Cyprianus Epist. LIX. ad Fidum, (ubi sententiam Fidi de infantibus ante octavum diem non baptizandis, variis argumentis refellit,) ita scribit; *Quantum ad causà infantium pertinet, universi (in Concilio LXVI. Episcoporum,) judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam.* Greg. Nazianzenus Orat. in S. Lavacrum III. inquit; *Quod si tibi infans est, non surripiat malitia tempus, ex pueritià sanctificetur, ex unguibus Spiritui consecratur, tu ob naturæ imbecillitatem signaculum revereris? Da infanti Trinitatem, magnam & præstantissimam custodiam.* Ambrosius lib. II. de Abraham cap. XI. *Nec senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis etas peccato obnoxia & ideò omnis etas sacramento idonea* Hieronymus Epist. ad Lætam scribit; *Nisi fortè existimas Christianorum filios, si baptismum non receperint, ipsos tantum reos esse peccati, & non etiam scelus referri ad eos, qui dare noluerint, maximè eo tempore, quo contradicere non poterant. qui accepturè erant, sicut è regione salus infantium majorum lucrum est.* Chrysostomus Homil. ad Neophytos; *Hac de causa, ait, & jam infantulos baptizamus*

DE BAPTIZANDIS.

ut non sint coinquinati peccato, ut iis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi. Homil. de Adam & Eva, ad totius Ecclesiae testimonium provocat, inquit; *Idè prædicat Ecclesia Catholica ubiq; diffusa, debere parvulos baptizari, propter originale Peccatum.* Augustinus pædobaptismi propugnator præcipuus de baptis. contra Donatist. lib. IV. cap. 23. scribit; *Quod traditum tenet universitas Ecclesiae cum parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt Corde credere ad iustitiam & ore confiteri ad salutem, &c. Et tamen nullas Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari.* Idem Lib. X. de Gen. ad lit. cap. 23. ait; *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, neq; ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Nec solum Doctores singulares, sed integra etiam Concilia baptismum parvulorum approbarunt: Sic enim Concil. Carthaginense, (vulgò Milevitanum vocant) quod circa annum Chr. 418. habitum, Can. II. *Quicumq; parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit.* Concilium Gerundense, quod circa annum 10xvii. coactum can. V. *De parvulis, qui nuper è materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, & lac ma-*

ternum non appetunt, etiam eadem die, quâ nati sunt, si oblatis fuerint baptizentur. Denique Concil. Bra- carense II. (quod circa annum Chr. 10LXXII. celebratum) can. VII. *Placuit, ut unusquisq; Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, &c.* Opponenda hæc sunt discordi Ana- baptistarum turbæ, qui contendunt, solos adultos, qui Christianam doctrinam imbuti satis sint, fidemq; suam ore profiteri & baptismum flagitare queant ipsi, baptismum dignos esse: Baptismum infantili ætati datum non esse SS. baptisma Christi, sed profanum Antichristi; Omnesq; in infantiâ tinctos, grandiores & rationis compotes factos rebaptizandos esse. Urgent præcipuè loca Matth. xviii. 19. Actor. VIII. 37. cap. XXII. 16. Sed respond. in adultis requiri institutionem antecedentem, in infantibus subsequenter.

§. 2. Venio ad baptismum Adultorum; qui verò ex Iudaismo vel Gentilismo ad Christianismum olim accedere volebant, ad *ἰερωσύνης ἐκκλησίας*, aut regenerationis sacramentum non admittebantur, nisi necessaria doctrinæ Christianæ capitæ edocti essent, fideique suæ professionem ederent, ut diximus Num. II. §. 2. Dicebantur inde *κατηχούμενοι*, informandi, quia prima Christianæ fidei elementa addiscebant. Docet
id

DE BAPTIZANDIS.

id *Augustinus* lib. de fide & oper. c. VI. Tom. IV. col. 60. inqviens; *Quid aliud agit, totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani.* Concilii Laodicensi Canon XLVI. decrevit; *Oportere eos, qui baptizandi sunt, fidem ediscere, & quintâ feriâ ultime septimane Episcopo vel Presbyteris renunciare.* Erant autem Catechumenorum sive eorum, qui ad baptismi gratiam suscipiendam, præparabantur, duo ordines sive classes; *Δύο τάξεις ἦσαν τῶν κατηχουμένων,* inqviunt Græculi, *Zonaras, Balsamo, & Harmenopoli Scholiastes.* Duo Catechumenorum ordines erant, unus eorum, qui genua flectebant, perfectior scilicet, alter imperfectior eorum, qui audiebant. Quorum assertio fundamentum habet in *Concil. Nicani Can. XLV. Concil. Anzyrani can. XVI. & imprimis in Concil. Neocesariensi can. V.* qui Catechumenos distingvit in *audientes & genuflectentes,* his verbis; *Catechumenus, si in Dominicum ingrediens in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccans, si genua quidem flectens est, audiat, non amplius peccans. Sin autem etiam audieris adhuc peccet, extrudatur, scilicet ex Ecclesiâ, in locum deflentium.* In primâ ergo classe erant *Audientes, seu imperfectiores.* Dicebantur autem *Audientes,* ob duas causas,

1. quod auscultarent ad ea, quæ *κατηχῆται,* sive Doctores ipsis proponebant, 2. quia in publico cœtu ad audiendas divinas Scripturas & Concionem sacras admittebantur. Ubi observandum; *Audientium nomine* alios fuisse intellectos apud Latinos, alios apud Græcos & Orientales; Græcis *ἀκούοντες* erant quilibet homines, qui in Ecclesiæ vestibulo ac limine, sive in porticu magnis Templi portis connexâ, verbi divini audiendi causâ subsistebant, quos inter, postquam *ἀκούσας* (de quâ suo loco,) facta est *secunda Pœnitentiæ statio,* illi quoque erant, qui post baptismum lapsi pœnitentiæ solennis stadium decurrebant. Sed Latinis, ut *Tertulliano & Cypriano Audientes* dicebantur, qui ad infimam classem Catechumenorum pertinebant, & baptizati opponerentur. Sic enim *Tertullianus* Lib. de Pœnit. cap. VI. *Nemo, inquit, sibi aduletur, quia inter Auditorum tyrocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Quid autem te à perfectò Dei servo separam? An alius est Intinctus Christus, alius Audientibus.* Itaque *Audientes optare intinctionem, non presumere oportet.* Similiter *Cyprianus* Lib. III. Ep. 17. vel Epist. XIII. *Audientibus etiam, si qui fuerint periculo præventi & in exitu constituti vigilantia vestra non desit, implorantibus divinam gratiam misericordiam*

B

Domini

DE BAPTIZANDIS.

Domini non denegetur. Idem lib. III. Epist. 22. ait, *se Optatum inter Lectores doctorem audientium constituisse.* Audientes igitur Latinis erant, qui à Catechetâ mysteria fidei & præcepta morum docebantur, & in publico cœtu, certo tamen in loco, Verbum DEI audiebant, finito verò sermone, peractâq; oratione pro Catechumenis (ut scilicet tenerentur desiderio baptismi, vide Casaubonum, Exercit. XVI. num. 43. pag. 398. b.) cum ventum esset ad celebrationem Eucharistiæ & orationes eò pertinentes, dimittebantur & recedere jubebantur. Græcis verò ἀκροώμενοι dicebantur in genere, quilibet, qui in Templi vestibulo audiendi Verbi divini gratiâ consistebant, in specie verò, qui in secundo Pœnitentiæ publicæ gradu constituti erant. Primus enim Pœnitentiæ gradus erat πρῶτα λυσις q. d. præflectus, secundus ἀκρόασις auditio, tertius ὑπόπλωσις q. d. humiliatio; quartus σύστασις statio inter fideles & quintus μέθεξις participatio, de quibus suo loco fusius agemus.

§. 3. In Secunda classe Catechumenorum erant *Competentes*, seu *Perfēctiores*, qui enim eò jam provec̄ti essent, ut de fide suâ interrogati sic satis rationem ejus reddere possent & baptismi accipiendi desiderio accenssi, eum petere & flagitare incipiebant, *Competentes* vel etiam *Petentes*

dicebantur. Ita Augustinus lib. de Fid. & Oper. cap. VI. dilertè ait; quod illi, qui fontis illius Sacramenta petant, ob hoc vocentur *competentes*. Et Isidorus Hispal lib. VII. Origin. c. 4. *competens vocatur*, inquit, *qui post instructionem fidei competit gratiam Christi, inde & à petendo competens vocatur.* κατηχήσεως seu Informationis nullum certum tempus definitum legimus. Conc. Illiberitanum circa Constantini M. tempora *biennium* determinavit Can. 42. Conc. Agathense sub. init. seculi VI. habitum, Judæos vult esse Catechumenos, per *octo menses* can. 4. cujus verba sic habent; *Judæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad legem Catholicam venire voluerint, octo menses inter Catechumenos Ecclesie limen introeant, & si purâ fide noscuntur venire, tunc demum baptismatis gratiam mereantur.* &c. Tempore Hieronymi audientes communiter erant tempore *Quadragesimæ*, usque ad Dominicam in ramis Palmarum, ut ipse testatur in Epist. ad Pammach. Ipsâ autem Dominicâ in ramis Palmæ fiebant *Competentes*, erantq; tales per octiduum seu per integram illam septimanam, quæ aliàs magna vocatur, & in vigiliâ Paschatos S. baptisimate initiabantur, ut postea dicemus. Hinc Augustinus lib. de curâ pro Mortuis cap. XII. *Pascha appropin-*
quan-

DE BAPTIZANDIS.

ante, inquit, dedit nomen inter alios Competentes. Octiduo illo, cum illis baptismi Candidatis instituebantur Examina, quæ *scrutinia* dicebantur, in quibus in doctrinam & vitam eorum accurate inquirebatur. Examina hæc in nonnullis locis in *totius Ecclesiæ conspectu* fiebant, teste *Augustino* Lib. II. de Symbolo ad Catechumen, Qui nondum satis Christianæ fidei capita addidicissent, illorum baptismus usque ad Pentecosten differebatur. Fiebat itaque baptismi petitio communiter Dominica Palm. unde *Augustinus* eadem Dom. sermonem III. qui in ordine CXVI. est, ad Competentes habuit, eosque ut dignè se ad baptismum, quem tunc temporis petebant, præparent, sedulo hortatus est. Solebant autem Competentes ab Episcopis vel Presbyteris gratiam Christi i. e. baptismum de geniculis vel humicubantes petere, & quia genibus flexis baptismatis mysterium rogabant, à Græcis dicuntur *κατηχόμενοι γόνυ κλίοντες*, à Latinis verò, ut sæpius dictum, *Competentes*.

§. 4. Qui finitis scrutiniiis digni videbantur, qui ad baptismum admitterentur, dicebantur *Electi*, & quidem non nisi illo ipso die, quo per baptismum Ecclesiasticæ communioni inseri deberent. Differant ergò Electi ab audientibus & competentibus, quoniam Electi non dicebantur, nisi

eo die, quo baptizabantur, ut habet *Siricius P. Epist. I. ad Himerium Episc. Tarrac. cap. 2. Tom. I. Concil. gener. pag. 689. vide Rupertum Abb. Tuitiensem. lib. IV. de Offic. c. 18. 19. & 20. Ordinis Romani liber, XI. ut videtur, seculo, incerto autore conscriptus & editus, baptizandorum a dultorum ritus hoc modo recenset; I. Recitabantur ex tabulis professionis, *Nomina Competentium*, quæ dederant, cum Competentes facti essent, II. disquirebatur de *fide* & de *moribus* competentium, de *fide*, quod crederent, quosnam articulos fidei didicissent, & quæ in re forte dubii essent, de *Moribus*, ex Decalogo in ipsorum actus inquirebatur, ubi; si novo peccato sese contaminassent, non fiebant Electi, sed eorum baptismus ad Pentecosten differebatur, ut in ipso tempore ulterius in fide vel in moribus, ubi defectus sentiebatur, sedulo informarentur. Post hæc III. Diaconus alta voce clamabat, *Orate electi*, tunc facti sunt electi ejusdem Diaconi jussu. Quinque vicibus tunc se prosternerant, IV. totidem vicibus resurgebant & inter surgendum *ἀκδ-λγθς*, minister Presbyterorum, susceptum signum crucis fronti Electorum quinque imprimerebat, propterea, ut crucifixi meminissent, V. Sacerdos cinere eos conspergebat, qui ritus dicebatur *incineratio*, vid. *Joseph. Vicecomes* lib. III. de rit. Baptism. an-*

DE BAPTIZANDIS.

tiq. cap. 25. Tandem desiderii sui & voti, sacro lavacro suscepto, compotes facti, fidelium numero plenè accensebantur. Non possum, quin hîc adjiciam, quæ Georg. Cassander ex Veterum scriptis collegit, in brevi Expositione de autorit. consuetudinis universalis baptizand. infantium & variis baptismi ritibus fol. 694. Oper. *Primis temporibus inquit, cum quotidie adbut ex infidelibus Ecclesia Christi incrementum acciperet, magna adultorum hominum utriusq. sexus multitudo his statis diebus (Dominicæ Resurrect. & S. Pentecostes) ad suscipiendum baptismum in civitatem confluebat, & inter eos unâ quoque infantes à fidelibus parentibus offerebantur, ita ut hæc actio tribus ætatum gradibus constaret. Erant primò adulti, qui quod ætatem haberent, ipsi pro se respondebant. Erant & pueri eâ ætate, ut ipsi quoq. per se acceptam Catechismi doctrinam, b. e. Orationem Dominicam & Symbolum reddere possint, qui tamen patrino- rum, quos vocant, seu susceptorum presidio aliquo opus habebant, quare cum ad confessionem faciendam consistenterent, pedem suum susceptoris pedi imponebant: (ut scil. hallucinantes eò facilius ab illis admoneri possent.) Erant tertio loco infantes & parvuli, qui à susceptoribus dextro brachio gestabantur & per ora gestantium, solennem illam Sanna abrenuncia-*

tionem & fidei professionem edebant, &c.

§. 5. Cæterum de illis, qui ante susceptum baptismum expirabant, communiter olim judicabatur, illos extorres esse Regni cœlorum. Vox omnium erat; *Non coronantur, sed non initiantur.* Augustinus Tom. 2. lib. Epistolar. Epist. 28. dicit; *Negare fas nobis non esse, eas animas, quæ sine Christi sacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum, non nisi in damnationem trahi.* Idem docet Tom. 7. lib. 3. de anima & ejus orig. cap. 9. Athanasius Tom. 2. in Quæst. ad Antioch. q. 90. post citatum Christi dictum Joh. 3. v. 5. addit; *Manifestum, quòd nemo non baptizatus in illud (regnum cœlorum) ingressurus sit.* Non censebantur Christiani, inquit Casaubonus Exerc. XVI. num. 43. qui sacramentis nondum fuerant initiati, ac proinde si morerentur, antequam fideles essent facti, spes salutis nulla erat, quod sæpe affirmant B. August. Chrysost. aliiq. Quamquam *ὁμοιωμικῶς* b. e. dispensativè fortasse illa dicuntur: nam de Valentini- ano, qui ante baptismum obierat, nihilo secius benè sperasse Ambrosium notissimum est; votum enim baptismi pro baptismo illi fuisse, non dubitavit. Hoc ex Cypriano liquet, à strictâ illâ censurâ exceptos fuisse illos Catechumenos, qui martyrium subiissent, antequam tincti essent. Di-

DE BAPTIZANDIS.

cit enim S. Martyr Epistola 73. ad Jubajan; *Non privari eos baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo & maximo sanguinis baptismo.* Gennadius Lib. de Eccles. Dogmat. (qui perperam Augustino adscribitur) cap. 74. idem affirmat inqviens, *Baptizatis tantum iter esse salutis credimus.* Nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam eternam habere credimus; excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur. Immitem hanc sententiam e recentioribus etiam defendit Corn. Jansenius in Augustino suo T. I. Lib. III. ca. 19. Ast Christus damnationis causam immediatam a^mptias ponit, non baptismi a^mptias

Sic enim ait Marc. XVI. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur, non addit; Qui non baptizatus fuerit, condemnabitur.* Unde colligimus, *sc̄gnon* baptismi divinitus immissam nequaquam damnare. Urget hoc argumentum etiam Bernhardus Tom. II. Epist. 77. ad Hugonem, ubi ex Ambrosio & Augustino docuerat, fidelem & conversum ad Dominum non, si nequiverit, sed si contempserit baptizari, fructu privari baptismatis. Idem sensit ejus οὐ γαρ, Petrus Blesensis Serm. XXII. de S. Trin. & Serm. XXIV. in festo Jacobi, inqviens; *Sufficere solum Spiritum, ubi articulus necessitatis aquam exclusit, non contemptus religionis.*

NUM. III.

De Clinicis seu baptizatis lectulariis.

Q Vos anceps morbus in lectis detinebat, ab ipsis illis fatalibus lectis *Clinici* olim non solum a profanis, sed etiam Ecclesiasticis Scriptoribus appellabantur. Sic Hieronymus ad Eustoch. hominē aegrotū, graviusq; decumbentem *Clinicum* vocat. Imò tot retrò annis ante illum Cyprianus Epist. 76. ad Magnum *Paralyticum* illum, quem per longa aetatis curricula in lecto jacentem Salvator in carne sanavit Joh. V. 5. seq. *Clinicus* no-

minat. Eadem aetate multorum animos infidebat opinio, non habendos esse pro veris Christianis, qui in praesenti mortis periculo, constituti spe prope omni labefactatā, in lecto baptismum suscepissent, eam videlicet ob causam; quod *loti* tantum, aut *aspersi* aqua baptismali, non *perfusi* aut *immersi* essent, idq; ἐν τῇ κλίνῃ in lecto, atque ambiguo vitae statu, ac propterea eos odioso & procacis commate *Clinicos* dixere. Docet id Cyprianus, qui a Magno hac in re

DE CLINICIS.

consultus, fusè ei respondet Epist. jam dictâ, & valorem hujusmodi baptismatis, *Clinicis* collati, contra secus opinantes tuetur. *Quæstisti*, inquit, *Fili charissime*, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam DEi consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eò quod salutari aquâ loti sint, non perfusi. Et respondet ibidem Cyprian. *Quantum fide concipere & sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesiâ lege & jure fidei divinam gratiam, consequutus.* Qui ergò gravi aliquo morbo correpti, ne ἀβάπτιστοι è vitâ discederent, aquâ salutiferâ in lecto affundebantur vel aspergebantur, à loco suscepti baptismi in veteri Ecclesiâ *Clinici*, sive ut habet Can. xlix. Synodi Antisiodor. *Grabatarii* dicebantur,

§. 2. De Lectulariâ perfusione, sive Clinicorum baptismo nonnulli tam Veterum, quàm Recentiorum Interpretum accipiunt verba Apostoli obscurissima, difficillimaq; 1. Cor. xv, 29. *Quid facient baptizati pro mortuis, οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, si omnino mortui non resurgunt? Quid & baptizantur pro mortuis, τί ἡμεῖς βαπτίζομεθα ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.* Epiphanius in primis, qui postquam Corinthianorum hæresin & argumenti Paulini depravationem (de quâ postea) damnasset, il-

lam de Clinicorum baptismum jam ab aliis receptam sententiam approbat, inquit; *Cæterum alii rectè (καλῶς) hoc dictum* (Apostoli 1. Corinth. xv. 29.) *interpretantes dicunt, quod οἱ μέλλοντες τελευτῶν, morti vicini, si fuerint in pietatis doctrinâ instructi, ob hanc spem (resurrectionis,) ante obitum lavacro digni habeantur, indicantes mortuum resurrecturum, & propterea remissione peccatorum, quæ sit per lavacrum, indigere.* Explicationem hanc sequuntur ex Papistis Estius & Corn. à Lapide, Com. in h. l. ex Calvinianis, Calvinus, Arctius, Marloratus ad h. l. item Pet. Martyr, Gualtherus, Vosius disput. xii. de Baptism. thes. 2. Ex nostris Matth. Flacius Clay, Scriptur. pag. 694. & B. Bossius, Exerc. Histor. de Clinicis cap. II. qui omnes tanquam rem indubiam supponunt, jam ipsis Apostolicis temporibus frequentem fuisse hunc morem conferendi baptismum fatali lecto affixis & in extremâ vitæ lineâ hærentibus, cum tamen minimè constet, illum Apostolicâ ætate fuisse usitatum, sed verius videatur, consuetudinem illam petendi in mortis periculo baptismi gratiam, quæ Clinicis nomen dedit, post Apostolorum decessum, circa Cypriani tempora non sine superstitione inolevisse.

§. 3. Cæterum alii duo, alii tria *Clinicorum* genera constituent; In
duo

DE CLINICIS.

duo genera dispeſcunt *Chriſt. Juſtel-*
lus Notis ad Can. LVI. Eccleſ. Uni-
 verſæ, *Vofſius* diſp. XII. de Bapt. theſ.
 5. *Suicerus* lib. Sacr. Obſerv. cap. III.
 pag 69. alii. Sed. Clariff. *Boſius*, con-
 tubernalis quondam meus dilectiffi-
 mus loc. alleg. cap. III. in tres ordi-
 nes eos diſtribuit, videl. in *Paganos*
 (cum *Judeis*), *Catechumenos* & *pro-*
feſſos jam Chriſtianos. Primum er-
 gò, ſecundum hanc ſententiam locum
 inter *Clinicos* obtinebant, *Gentiles*
cum Judeis, qui *Chriſto* nondum
 nomen dederant, *Chriſtiani* tamen
 fieri geſtiebant, interveniente verò
 mortis periculo, dato converſiones
 & voluntatis ſuæ ſigno, conſeſtim in-
 lectis $\chi\tau\iota$ τὰς τελευταίας αἰαπνοὰς,
 ſacro fonte tingeantur vel aſperge-
 bantur, quæ *aſperſio aquæ in ſar ſa-*
lutariſ lavacri obtinuit, ut ait *Cy-*
prianus Epift. LXXVI. ad Magnum. Ita
Arinthæus Prætor, ab uxore ad fidem
 converſus, in fine vitæ baptizatus fu-
 it, ut refert *Baſilius M.* Epift. 186. quæ
 eſt conſolatoria ad Conjugem ejus.
 Abacti quidem ſunt pagani, utpote
 fidei & religionis ignari à ſacro fon-
 te, per Canonem II. Conc. Nicæni,
 per Canonem XLVI. Concilii
 Laodicensi, & per Canonem
 LXXIX Conc. in Trullo; aſt neceſſitas
 interdum iſtas conſtitutiones impedi-
 ebat; Hinc Conc. Illiberitani Ca-
 non 39. de *Gentilibus ægrotis* in le-
 cto baptizandiſ ita habet; *Gentiles, ſi*

in infirmitate deſideraverint ſibi mā-
nus imponi, ſi fuerit eorum ex ali-
quâ parte honeſtæ vitæ, placuit eis
manus imponi & fieri Chriſtianos.
 In quibus quidem verbis baptiſmi a-
 perta mentio non fit, quia tamen mā-
 num impositio, quæ gentilibus con-
 ceditur, baptiſmum conſequebatur,
 ſub formali parte totum eſſentiale
 non immeritò intelligimus, uti ad Ca-
 nonem illum obſervat *Ferdin. Men-*
doza, & ex eo *Vofſius* loc. cit. Conc.
 Carthagin. Canone 34. in Tomo
 Concilior. Binniano ſtatutum eſt; *U-*
ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non
poſſint, cum voluntatis eorum testi-
monium ſui (ſcil. cognati vel famili-
 ares) *periculo proprio dixerint, ba-*
ptizentur, Mentem Synodi hujus
 hiſ verbis exponit *Walaf. Strabo* lib.
 de reb. Eccleſ. cap. 26. *Synodus Car-*
thaginenſis baptizandos ſtatuit ægro-
tos, qui jam loqui non poſſunt, cum vo-
luntatis eorum testimonium ſui dixe-
rint, aut ipſi aliquibus ſignis compro-
bare potuerint. Conc. Laodicen.
 cap. XLVII. quamvis apertè *Gentiles*
Lectulatioſ non commemoret, de iis
 tamen intelligendum eſt, quando de-
 cernit; *Oportere eos, qui in morbo*
baptiſmum accipiunt, & poſtea con-
valuerunt, fidem ediscere. Hoc e-
 nim ad *Gentiles* potius, quàm ad ali-
 oſ ſpectare, nemo non videt. Per-
 miſſu itaq; Eccleſiæ multi ἐξ ἐθνικῶν
 βίῃς ἀεγοσελθόντες in capulari graba-

DE CLINICIS.

co petitam baptismi gratiam acceperunt, sed non nisi certis quibusdam conditionibus, quarum præcipuæ hæ sunt, 1. ut habitâ vitæ antea actæ pœnitentiâ sacrum lavacrum peterent, si verò ipsi amplius loqui non possent, ut signo aliquo voluntatem & desiderium suum declararent, vel alii proprio periculo de proposito eorum voluntate testarentur, 2. ut, si post susceptum in lecto baptismum, restituerentur, fidem ediscerent, imperantibus id citatis Canonibus Conc. Illiberit. Carthagin. & Laodic. De quibus omnibus eleganter disserit *B. Bosius* loc. all.

§. 4. Secundum Clinicorum genus constituebant *Catechumeni*, qui quidem Ecclesiæ nomen dederant, & ad Christianismum sese converterant, ad baptismum verò percipiendum nondum satis instructi erant, aut apti. Hi repentino aliquo morbo oppressi, mortique viciniore, in lecto sacris Christianorum initiabantur. Et qui hoc modo in desperato casu baptizati erant, si quando cessaret periculum, ipsiq; convalescerent, plenius de rebus fidei informabantur & manuum impositione confirmabantur. Ita *Cyrillus Alex. Episc.* in Epist. Canonicâ ad Episcopos Libyes & Pentapoleos, Catechumenos etiam lapsos in lectis baptizandos esse statuebat, quod non de *Competentibus* tantum Catechu-

menis, tanquam baptismis propinqui- oribus, sed de Audientibus etiam intelligendum est, quorum causam disertè agit *Cyprianus Episc.* XIII. *Audientibus, si qui fuerint periculo præventi & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit, implorantibus divinam gratiam, misericordia Domini non denegetur.* Sic piissimum Imper. *Theodosium M.* in periculo, non fatali tamen morbo *Acholi* Thessal. Episcop. lecto affixum saluari undâ tinxit, cum jam Conciliis & mysteriis Christianorum adhuc catechumenus interfuisset, ut docet *Ambrosius Orat.* de ejus obitu Tom. 3. & *Socrates H. E.* lib. V. cap. 6. Cæterum in lecto ob morbum initiati, post recuperatam valetudinem, non statim ad Episcopatum vel Presbyterium evehebantur. Causa hæc erat, quod viderentur necessitate, non sponte facti Christiani: Sic enim habet Canon XII. Conc. Neo-cæsar. *Si quis in morbo constitutus, baptizatus fuerit, ad honorem Presbyterii promoveri non potest, ὅτι ἐκ ανάγκης, fides enim ejus non est ex instituto, sed ex necessitate.* Ita quoque *Cornelius Episc. R.* Epist. ad *Fabium Episc. Antioch.* quæ extat apud *Eusebium H. E.* Lib. VI. cap. 43. *Non licebat, inquit quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perfusi fuissent, in clerum assumi.* Atq; sic hæc

cte.

DE BAPTISMO VICARIO.

Genus de illis Clinicis, qui tunc ex *Gentilibus*, tunc ex *Catechumenis* baptismum imperato ex morbi necessitate oblatum sustinuerunt, egimus, de tertio vero genere Clinicorum, scilicet professione jam Christianorum, qui vel ex more Ecclesiastico,

NUM. III.

De Baptismo Vicario.

§. I.

Antiquissimus sed perversus, quorundam mos fuit, ut loco defunctorum morte preoccupatorum ante susceptum baptismum, alii vivi substituerentur, qui eorum nomine Sacro Lavacro tingerentur, ne forte obesset, pie alioquin defunctis, baptismum caruisse. Meminit hujus ritus *Tertullianus* lib. V. adv. Marcion. cap. 10. & lib. de Resurrect. carnis cap. 48. ubi illud *vicarium baptismum* vocat. Describitur autem hic Baptismi vicariatus hunc in modum; Si quis olim ἀβάπτιστος obierat, soliti sunt vivum aliquem sub lectulo defuncti abscondere, mortuumque interrogare, an baptizari velit? Respondit sub lectulo absconditus, velle. Et mox vivus ille pro vita functo fuit baptizatus. Tribuit illum ritum Marcionitis *Chrysostomus* hom. 40. in 1. Cor. 15. inquit: *Postquam Catechumenus quispiam (atque sic ante baptismum) apud eos (Marcionitas) excesserit, sub lecto mortui vi-*

aut aliam ob causam sese ad idoneum tempus salutari initiationi subducebant vel destinato consilio animoque; pertinaci ad supremum usque vitæ punctum baptismum proregabant, agemus postea Num. X.

vum aliquem recondunt, accedunt ad defunctum, & alloquuntur & rogant, velitne baptizari? Deinde illo nihil respondente, is, qui subtus latet, pro illo dicit, se velle baptizari, & sic illum baptizant pro eo, qui discessit. Epiphanius tribuit hoc Cerinthianis lib. I. hæresi 28 ubi ait, In hac regione, Asia, imò etiam in Galatiâ valde viguit Cerinthianorum doctrina, de quibus etiam ex traditione res quædam ad nos devenit, quod cum quidam apud ipsos de vitâ decesserint, morte preoccupati citrà baptismum, aliis pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur, ut ne, ubi resurrexerint, illi in resurrectione penas dent, eò quod non acceperunt baptismum. Sunt etiam, qui supra adductum vexatissimum locum 1. Cor. xv. 29. Quid facient baptizati pro mortuis &c. de hoc vicario baptismum accipiant, eamque interpretationem omnium simplicissimam, cæterisque probabiliorem judicent, cum retine-

C

at 1.

DE BAPTISMO VICARIO.

at 1. propriam verborum omnium significationem 2. nitatur historicâ observatione & antiquitatis testimonio, & 3. nullis prematur difficultatibus. Verùm neutiqvam hujus sententiæ defensores hoc volunt, ac si laudet vel probeat Apostolus hoc quorundam factum, sed quod intentionem tantum facti respiciat, quod scil. ritus ille in certitudinem resurrectionis institutus sit. *Exemplo hoc (inquit Ambrosiaster com. in h. l.) non factum illorũ probat Apostolus, sed fixam fidem in resurrectione ostendit.* Quod antiquitatis testimonium attinet, fatemur *Tertullianum* duobus supra citatis locis, in quibus de vicario baptismo simile quid insinuat, ipsum illud Apostoli dictum allegare & interpretari, lib. vid. de Resur. Carnis cap. 48. & lib. V. contra Marcion. cap. 10. Priori loco ita ait, *Si baptizantur quidã pro mortuis, videbimus an ratione (an rectè) Certè illã presumptione hoc eos instituisse contendit, quã alii etiam carni vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis.* Posteriori ita; *Quid ait Apostolus, facient, qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt; Viderit institutio ista (quonam scil. fundamento nitatur.) Eamq; expositionem (quæ scil. phrasin illam Paulinã, baptizari pro mortuis, accipit de illis, qui vivi baptizabantur pro mortuis) sequuntur, Scriptor Com-*

mentar. in Epistolas Pauli, qui Ambrosio tribuuntur. *Walaf. Strabo* loco cit. *Thomas Aquinas, Haymo, Anselmus Laudunensis* in Glossa interlinear, *Baronius* Annal. Tom. I. ad an. Chr. LVII. Num. marg. 166. Item *Musculus* in h. l. *Justellus* in notis ad Codic. Canonum univ. Eccl. & *Jac. Laurentius* in Explicat. LL. Difficil. Pauli pag. 440. Ex eadem hac, quamvis erroneâ consuetudine disputare Apostolum existimant etiam *D. Georg. Calixtus* tractat. de Immort. animæ thes. 15. & *D. Dannbawerus* in Dramate S. pag 447. In Ideâ boni Interp. pag. 144. & in *μυστηρίο* sect. II. art. III. §. 60. In quibus locis etiam objectionibus occurrit, quarum solutiones huc redeunt; α. Disputasse S. Paulum ad hominem, hancque disputandi rationem etiam ex falsis, concessis tamen ab eo, quo cum disputatur, fortissimè procedere. β. Castigasse Apostolum fœdam hanc superstitionem, hoc ipso in argumento, idq; ex ipso loquentis indignante gestu colligi posse γ. Non uti Doctorem Gentium, ut aliàs *κοινὸν ποίησιν* quadam, quã se includeret, sed dicere, *τί ποίησιν γὰρ* varumb thun sie das / scil. depravatores illi baptismi &c. Ex quibus facile objectiones perspicui possunt.

§. 2. Verùm *B. Balduinus Com.* in h. l. quæst. V. multis ostendit, non esse verisimile, Apostolum ad illum ritum

DE BAPTISMO VICARIO.

ritum attendisse: *Nam, inquit, per ritum illum SS. actio baptismi in ludicrum aliquod spectaculum convertebatur & Deus ad baptismum precise alligabatur, quasi in casu necessitatis absq; baptismo defunctos in gratiam recipere vel nolit vel non possit. Neq; etiam credibile est, Apostolum ex opinione graviter errantium resurrectionem mortuorum confirmare voluisse, hac enim admodum infirma fuisset probatio, apud Corinthios, haereseos illius ignaros & expertes. Praeterea incertum est, an tempore Apostolorum hic mos fuerit. Nam si fuisset, haud dubie neq; tolerasset eum, neq; reticisset Apostolus. Illi vero Haeretici, quorum Tertullianus & Epiphanius mentionem faciunt, Apostolorum temporibus longè recentiores sunt. &c.* Hæc ille. Sanè Cerinthum Apostolorum vixisse temporibus, liquet ex Epiphanio loc. alleg. & imprimis ex illis, quæ de Johanne & Cerintho memorat Ire-

NUM. IV.

De Baptismo mortuorum.

§. I.

HAUD rarò contingebat in Ecclesiâ infante, ut aliqui ex Catechumenorum multitudine, ante vitam amitterent, quàm fidelium gregi confociarentur, aut sacro baptismi fonte abluerentur. Quidam ergò miseram & acerbam illorum conditio-

nam lib. III. cap. 3. *Eusebius* lib. III. H. E. cap. 22. &c. ast eo tempore, quo S. Paulus ista ad Corinthios scriberet, Cerinthum tantam in baptismo absurditatem fovisse, demonstrari nequit. Rectè B. *Dorscheus* de Missâ c. IX. §. 47. pag. 312. adductis locis ex Tertul. Chrysof. & Epiph. inquit; *Moris existentia certa est; An mos tam antiquus sit, ut originem dederit argumentationi Apostolicae, an verò mos haereticus à falsâ interpretatione Apostolicâ originem deduxerit, quaeritur? Prius non affirmant Tertullianus, Chrysofomus, Epiphanius, Theophylactus. Sed & Cerinthiani, quibus hunc morem usurparunt, resurrectionem crediderunt. Paulus a. argumentatur contra eos, qui resurrectionem carnis negarunt, &c.* D. *Calixtus* quoq; loc. cit. th. VII. fatetur, vix verosimile esse, Apostolum vel argumento tam infirmo uti, vel insignem adeò baptismi profanationem sine reprehensione præterire voluisse.

C 2

nem

DE BAPTISMO VICARIO.

nem Ecclesiæ eos adoptari & jus communionis illis reddi, ut docet *Gabr. Albaspinus* Observ. Eccles. Lib. I. Observ. IX. Atq; ita in aliquibus locis Veteres Christiani ex simplicitate ac errore non solum Eucharistica symbola mortuorum ori ingesserunt, sed etiam defunctos baptizarunt. Cataphryges, ut *Philastrius* de illis scribit, mortuis baptismum conferebant, ad quos alludit *Greg. Nazianz.* Orat. XL. quæ est in S. Lavac. ubi senes baptismum differentes sic compellat; *An tu etiam expectas, dum mortuus abluaris, non jam misericordiam tui magis, quam odium movens.* Damnata est illa con-

suetudo Canone XVIII. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ his verbis; *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistiam non detur. Et ne jam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia.* In translatione Græcâ pro ignaviâ ponitur *ἀγνοια, ignorantia,* in Tomis Concil. neutrum legitur, sed pro eo est *infirmetas.* Sic enim habent extrema verba Can. VI. Conc. Carthagin. III. secundum editionem Binnii; *Cavendum est, ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmetas credat, cum Eucharistiam mortuis non dari animadvertit.*

NUM. V.

De Baptismo Campanarum.

§. I.

Ritus campanas, aliasq; res inanimatas baptizandi, qui in Papatu usitatus est, licet prorsus stolidus sit, nulloq; puræ Antiquitatis testimonio probari, imò nec sine depretiatione sacramenti à Christo instituti administrari possit, non est tamen planè recens inventum, sed jam ante nongentos ferme annos à nonnullis mos hic est usurpatus, ut scil. Campanis Templorum, nomen hominis imponerent, Patrinos, seu susceptores, tinctionis testes, adsciscerent, easq; in nomine Patris Filii ac Spiritus S. aquâ abluerent

&c. Liqvet hoc ex Constitutionibus Caroli M. à *Buseo* editis, pag. 266. Ubi hoc habetur Capitulum; *Ut Cloacas non baptizent.* Postea hunc Campano-baptismum in Romanâ Ecclesiâ instituit Johannes XIV. seculo videl. X. Ille enim Campanam magnam ad Johannem Lateranensem baptizari & de nomine suo nomen ipsi imponi jussit. Sic enim *Joh. Balcus* in Actis Rom. Pont. Lib. IV. pag. 163. in Joh. XIV. *Post hæc & alia papalia facta, Johannes anno Dom. 973. presenti valedixit seculo. Ab hoc tempore ceperunt campanis bapti.*

DE BAPTISMO CAMPANARUM.

baptizatis peculiaria dari nomina. Quoniam ipse Lateranensis Ecclesie majori Campana suum tribuit nomen. Quo ritu hæc Campanarum tinctio soleat peragi, docet Pontificale Romanum lib. II. de bened. Camp. Quantopere verò Status Im-

perii Romani de absurdo & perpero hoc more fuerint questi sub initium Reformationis, videre est ex Centum Gravaminibus Nationis Germanicæ anno 1522. & seq. Norimbergæ propositis & Legato Pontificis exhibitis.

NUM. VI.

De variis solemnibus Baptismi temporibus.

§. I.

AEvo Apostolico, illudque proximè sequente, quovis die administrabatur Baptismus. Simul ac enim quisquam se profiteretur credere in Jesum Christum, baptizabatur ab Apostolis, ut cognoscere est ex Actor. II. 41. VIII. 12. 13. 37. IX. 19. X. 47. XVI. 15. 33. XVIII. 8. Sed non multò post mos obtinuit in Ecclesia, præsertim Latina, & quæ ejus nobilissima olim pars fuit, Africana, ut non aliis toto anno diebus, (si nulla quidem interveniret necessitas,) quam, primùm vigiliam nocturnam, & postquam illæ vigiliæ unà cum ignibus & facibus nocturnis in desuetudinem venerunt, vel potius prudenter abrogatæ sunt, diurnam, aut quod idem est, die pridiano Paschæ, itemque vigiliam sive profesto, ut appellari consuevit, Pentecostes, solemnibus baptismus celebraretur. Qui enim inter Pentecosten & Pascham Christo nomen dederant, vigiliam vel pridie Paschæ sacris baptis-

mi undis initiabantur: Qui verò inter Pascham & Pentecosten Ecclesie gremio excepti erant, & in articulis Christianæ religionis institui, quantum satis erat, poterant, vel etiam, qui ante festum Paschatos, in scrutiniis, seu fide seu moribus Christianis nondum satis præditi inveniebantur, vel denique, qui in itinere vel navigio aut morbo aliquo præditi, Paschali baptismati interesse non valebant, in pervigilio Pentecostali baptizabantur. Neque solum adultorum vel Catechumenorum, sed etiam Infantum, qui interea temporis nati erant, baptismus eorumque, nisi necessitas & vitæ periculum aliud postularent, differebatur. Hinc Rhennus ad Tertulliani lib. de coron. mil. annotat pag. 39. *Infantes post Pascham natos ad Baptismum Pentecostes reservatos, & natos post Pentecosten ad Paschalem festum diem baptismo offerri solitos, exceptam necessitate.* Consuevisse autem Eccle-

C 3

siam

DE BAPTISMI TEMPORIBUS.

Giam Africanam in Paschate & Pentecoste baptizare, jam sub finem seculi II. luculentissimus testis est *Tertullianus* lib. de Baptif. cap. 19. *Diem, inquit, baptismo solemniozem Pascha prestat, cum & passio Domini, in quam tingimur, adimpleta est.* Et paucis interjectis; *Exinde, ait, Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus S. dedicata.* Addit autem statim Doctissimus *Afer*; *Ceterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo.* *Si de solemnitate interest, de gratiâ nihil refert.* Idem de suis temporibus testantur, *Ambrosius* de Mysteriis Paschæ cap. V. Tom. II. Op. fol. 250. & *Augustinus* serm. 160. & 164. *Domin.* in Octavis Paschæ Tom. x. Op. *Siricius*, quem ab anno Christi 384. Romanæ Ecclesiæ præfuisse *Onuphrius* autor est, Epist. 1. ad Himerium Tarracon. Episcop. cap. 2. Tom. I. Concil. gener. pag. 689. admodum in eos invehitur, qui Baptismum alio, quàm Paschali & Pentecostali tempore suscipiebant, vel administrabant. *Non ratione auctoritatis alicujus, inquit, sed solâ temeritate presumitur, ut passim & liberè Natalitiis Christi, seu Apparitione, nec non & Apostolorum seu martyrum festivitibus innunere, ut asseris, plebes baptismi mysterium*

consequantur, cum hoc sibi privilegium & apud nos & apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter Pascha defendat, cum sua Pentecoste, *Leo* I. qui Romæ anno Domini 440. sedere cœpit, *Siculos*, qui præter duo illa festa (Paschæ & Pentecostes) Epiphaniæ insuper diem solemnis baptismatis celebrationi tribuebant, graviter reprehendit Epist. IV. c. 1. hoc eos ab Apostolica Institutionis consuetudine discrepare dicitans, *irrationalabilem novitatem usurpare.* &c. *Gelasius*, qui eandem sedem eodem illo quinto, sed jam præcipiti seculo, tenuit, eadem *Lucanis* præcepit, ut scil. baptizandi duo tantum tempora i. e. Paschæ & Pentecostes sabbatha, servarent, Epist. ad Episc. *Lucaniæ* cap. 12. Mansit quoque hæc de baptismatis solemnis tempore lex apud Romanos ad an. Dom. 723. ut docet *Gregorius secundus* his ad Thuringos verbis Epist. IV. Tom. 1. Concil. Galpag. 514. *Sacrosancti baptismi Sacramentum non nisi in Paschali festivitate & Pentecostali noverit* (*Bonifacius* istorum Episcopus) *esse præbendum, exceptis iis, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire.*

§. 2. Ast licet mos ille solis Paschæ & Pentecostes diebus baptizandi primis illis octo ferè seculis in urbe Româ & vicinis fortè Ecclesiis obtinere.

nus.

DE BAPTISMI TEMPORIBUS.

nuerit, in cæteris tamen, non modò Orientalibus, sed etiam Occidentalibus Ecclesiis etiam alii dies jam planè olim variè baptismo fuerunt attributi. Ab aliis enim liberè solemnitati baptismali dicatus est dies *Epiphaniae*. Dicitur autem fuit dies τῆς Ἰνφανείας, in vet. Ecclesiâ Græcâ *Dies natalis Domini*, quo videl. DEus in carne hominibus ἐπεφάνη, siue apparuit, 1. Tim. III. 16. Tit. II. 11. cum verò successu temporis solemnitas natalis Dominici diei sexto Januarii adimeretur, & in xxv. Decembris transferretur, remansit quidem appellatio Epiphaniarum diei VI. Januarii, sed causa appellationis aliter, quàm ante reddi cepit. Nam Ecclesia Græca in eum contulit memoriam *Baptismi Domini*, quia in eo, ut *Chrysostomus* ait, ἐπεφάνη i. e. innotuit, demonstratus est cælestivoic. Latina verò recordationi luminis Gentibus exorti siue adventus Magorum illum consecravit, quia in illo per stellam Salvator est ostensus, ut loquitur *Isidorus Hispal.* de Offic. Eccles. lib. I. cap. 26. Vide *Casaubonum* Exercit. II. num. XI. Et hinc Græci volebant die Epiphaniarum baptizandos tingere, ut cum Christo baptizarentur, quidam autem Latinorum eodem die baptismum solemnem instituebant, ut baptizandi cum primitiis gentium Christo adducerentur. Consuetudo hæc baptismi die

Epiphan. celebrandi jam *Gregorius Nazianz.* qui seculum IV. illustravit, tempore vigit in Oriente, quod patet ex illius verbis in Orat. 39. εἰς τὰς Φῶτας, ubi in Festo θεοφανείας baptizandos ita alloquitur: *Christus illuminatur, simul fulgeamus; Christus baptizatur, descendamus cum eo ut unâ quoque, cum eo ascendamus.* Idem tria solemnitas apud Græcos baptismi tempora disertè indicat oratione sequente XL. ubi hominum baptismi de die in diem differentium excusationes memorat; *Hoc est illud, inquit, causarum atque excusationum in peccatis; μένω τὰς Φῶτας diem luminum expecto, τὸ πάχος μοι τιμιώτερον, Paschatos festum pluris facio; τὴν πεντηκοστὴν ἐκδέξομαι, Pentecosten expectabo.* Cum Christo baptizari præstat, cum Christo in resurrectionis die ad vitam redire, Spiritus adventum honorare. Ipsa Africana Ecclesia circa annum Christi 484. non modò Paschæ & Pentecostes ex veteri instituto, sed etiam Epiphaniæ die solemnem baptismum Græcorum more ministravit, ut docet *Victor Uticensis* lib. II. de Persecut. Vandal. pag. 30. & *Damascenus* in Jamb. Tetrast. de Epiphania. Idem Siculos factitasse circa annum Chr. 447. patet ex supra citatâ Leonis I. illo ipso anno ad eos scriptâ Epistolâ. Nonnulli in festo *Nativitatis* Christi olim etiam baptizabant, sta-

DE BAPTISMI TEMPORIBUS.

statuebant enim eo die, quo Salvator noster natus esset, nos optimè posse renasci. Hispanos præter Pascha Natali quoq; Dominico circa initia Seculi VI. solemnem baptismum celebrasse, docemur à *Walaf. Strabone*: Sic enim ille lib. de reb. Eccles. cap. 26. *Tempora baptizandi legitima, Pascha & Pentecoste præfiguntur secundum decreta Siricii, Leonis vel Gelasii Episcoporum, quamvis in Concilio Gerundensi Natalis Domini & Pascha ponantur.* *Launojus* de temp. Bapt. c. 9. pag. 184. hic rectè observat, hunc Concilii Gerundensis Canonem (xv.) quem nunc præferunt libri illius Synodi vulgati, fuisse à recentioribus Librariis & Canonum Collectoribus interpolatum, qui scil. jubet Catechumenos baptizare, non *Natali Domini & Paschate*, quod ibi legebat olim *Walafridus*, sed *in Pascha solemnitate vel Pentecostes*, uti & à *Gratiano* adducitur *De Consecr.* dist. IV. can. 15. Confer *Vossium* de Bapt. Disput. xvi. th. 6. Gallos quoque Natali Dominico baptizasse, docet *Clodovæi Francorum Regis* baptisma, quod illo ipso die celebratum fuisse testatur *Alcimus Avitus* Epist. 41. ad Clodov. & ex eo contra *Fedegardum & Hincmarum* demonstrat idem ille *Launojus*. Morem hunc jam à *Constantii* temporibus in Galliis fuisse usitatum *Menardus* Not. in libr. Sacr. Gregorü pag. 160. &

novissimè *Launojus* loc. cit. Coroll. 8. pag. 217. ex *Gregorio Turon.* qui sub finem sec. VI. floruit, docent. Quia & Anglos ab *Augustino*, *Gregorio I.* ipso referente, nec culpante Natali Domini tinctos legimus: Ita enim *Gregorius* Epist. 30. lib. VII. *In solennitate Dominica Nativitatis plusquam decem mille Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coepiscopo nostro* (*Augustino* vid.) *baptizati.*

§. 3. Cæterum sicut seculo IX. in Paschate usq; ad octavum diem, sive integrâ hebdomade baptizandi jus erat. Sic *Victor* Papa Epist. 1. ad *Theophilum Alexandr.* *A quarta decima verò Lunâ primi mensis, usq; ad XXI. ejusdem mensis diem, eadem celebretur festivitas, eodem verò baptisimus est celebrandus Catholicus.* Idem constat ex Conc. *Triburiensi*, ubi dicitur; *Usq; ad octavum diem regeneratio sacra ab omni populo, Christiano celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur.* Cui testimonio concinit *Berno* Abbas *Augiensis*, qui ad initium seculi XI. vixit in libro de *Missâ* cap. 3. inquit; *Utraq; (baptismata Paschæ & Pentecostes) per octo dies celebrantur.* Sic quoq; in Natali Domini apud Gallos jam IV. seculo fuisse factitatum, testatur *Gregorius Turonicus* lib. de gloriâ Confessor. cap. 12. cum ait; *Amplius, quam mille homines sacri innovatione lavacri fuisse renatos intra septem*

DE BAPTISMI TEMPORIBUS.

Septem illos dies, qui scilicet à Natali ad octavum fluxerunt. Hinc firmatur Launoji Corollar. XV. quod habetur lib. de temp. bapt. p. 228. Quod in Veterum scriptis baptizari quis diceatur nunc in Sabbato S. nunc in Paschate, nunc in nocte Pentecostes, aut in Pentecoste, in Natali die Christi, in Epiphaniâ, vel in ejus pervigilio, aut in octavâ. Sed & præter dies Nativitatis & Resurrectionis Domini, Johannis Baptistæ festum Baptismo solemnità Gallis fuisse olim dictum, non obscure docet Gregorius Turonicus Lib. VIII. Histor. Franc. c. 9. Imò ex Siricii Epist. 1. c. 2. & Leonis Epist. 80. colligi potest, fuisse per illa tempora, qui in Martyrum Natalibus seu Festis suos sacro fonte abluerent. Non defuerunt tamen, qui solum Pascha baptismo deputarent. Sic in Ecclesiis Thessalicis baptismus ad festum Paschatos ita fuit alligatus, ut alio anni tempore nemo baptizaretur. Testatur id Socrates lib. V. H. E. cap. 22. his verbis; Aliam quoque consuetudinem in Thessalia vidi. Solis diebus Pascha illic baptizant. Ex quo fit, (scilicet quia semel duntaxat in anno baptizant,) ut plerique apud illos absque baptismo moriantur. Thessalorum tamen sententiæ accedere videntur Concilia, Antifiodorense, & Matifconense seculo VI. in Galliâ habita, Aliud Can. 18. hoc can. 3. Utriusque

idem sensus est, in priori his verbis expressus; *Non licet absque Paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt.*

§. 4. Tandem circa Noni seculi initia Caroli M. autoritate & Episcoporum consensu recepta ubique; ut videtur, in Occidente Siricii & Leonis Papar. eâ de re Lex, scilicet, ut non aliis, quam Paschæ & Pentecostes diebus solennis baptismus ministraretur. Videatur Synodi Moguntiacæ circa an. Chr. 813. (qui vitæ Carolinæ penultimus fuit) habitæ Canon. 4. Tom. II. Conc. Gal. p. 276. Idem Carolus in admonitione ad Presbyteros Tom II. Concil. Gall. pag. 253. inquit; *Ut nullus baptizare presumat, nisi in Pascha & Pentecoste. Lex in Capitulare Caroli & Ludovici Augustorum relata Lib. V. c. 104. hæc est; Ut baptismus non fiat, nisi statutis temporibus i. e. Pascha & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit. Idem dicitur Lib. VI. c. 178. Eademque habent Walafridus, Berno, Pseudo-Alcuinus, aliique IX. X. & XI. seculor. Scriptores. P. Lombardus, qui circa medium seculi XII. claruit, Lib. I. sentent. d. 6. inquit, *Agnosendum est etiam, in baptizandis electis duo tempora esse servanda i. e. Pascha & Pentecosten &c. Qui verò necessitate mortis aut periculi urgentur, omni tempore debent baptizari. Ex-**

D

cipi-

DE BAPTISMI TEMPORIBUS.

cipiatur ergo semper casus necessi-
 tatis, in quo quolibet die ac tempore
 baptismo fuit administrabilis. Sic Leo
 I. Epist. LXII. excipit *mortis pericu-
 lum, obsidionis discrimen, persecutio-
 nis angustias, naufragii timorem, &
 addit; Nullo tempore (in his sc. casib9,)
 hoc vere salutis remedium cuiquam
 esse denegandum.* Gelasius Papa Epist.
 ad Episc. Lucan. c. 12. excipit *gravissi-
 mi languoris incursum, in quo veren-
 dum est, ne morbi crescente periculo,
 sine remedio saluari fortassis agrotans
 exitio preventus abscedat.* Concilium
 Triburiense (quod circa an. 895. habi-
 tum) excipit quoque necessitatem peri-
 clitantium can. 12. sic decernens; *Peri-
 culo quocumq; modo praoccupatis &
 desperatis, omni tempore subvenien-
 dum & baptismi sacramentum est tri-
 buendum, quia necessitas vix habet le-
 gem:* Decrescente seculo XII. nullius
 vel Concilii vel Papae decreto, sed ta-
 cito hominum consensu ab his citius,
 ab illis serius deserta est illa certorum
 temporum observatio, ac tandem
 prorsus abolita. Causam abolitionis
 insinuat *Rupertus*, Abbas Tuitiens. e-
 jusdem seculi scriptor l. IV. de div. Of-

NUM. IIX.

De Baptismi dilatione.

§. I.
Non omnis Baptismi dilatio seu
 procrastinatio in Veteri Ecclesia
 culpabilis fuit. Quia n. illi, qui ex Gen-
 tilismo vel Judaismo ad Christianis-

fic. c. 18. inquit; *Postquam Christia-
 nitas crevit & sagena illa Verbi Dei
 piscibus impleta est, quia periculosum
 erat tantam multitudinem differre pro-
 pter occasiones mortis, quae in multi-
 tudine hominum multae sunt, maxime
 propter turbam infantium, ex fide-
 libus parentibus nascentium, quorum
 tenera vita per sepe levi occasione suc-
 ciditur, visum est S. Ecclesiae, passim in-
 dulgentiam baptizandi concessa, imo
 oblatam, cum antevenire pericula. Ba-
 ptismi in solennitatem, vel IN PALL-
 CIO cum Dominica resurrectionis, cui
 similis est, celebrare.* Obiter observa:
 Noctua olim initiationem Christiano-
 rum esse inchoatam. Hinc *Augustinus*
 de Symbolo ad Catechum, lib. 2. c. 1.
 Tom. IX. col. 1102. inquit; *Sacramen-
 torum rationem sive transacta noctis,
 sive praesentis sancti symboli exponen-
 dam suscipimus sanctitati vestrae.* Et
 mox: *Quid est, quod haec nocte circa
 vos actum est, quod praeteritis noctibus
 actum non est.* Et quae *Cyrillo Hieros.* in
 Catec. Myst. 1. dicitur *εσπερα & βαπτί-
 σματος, vespera baptismi, Gaudentio*
*tract. V. est splendidissima nox vigi-
 liarum.*

mum accedere volebant, secundum
 Conciliorum Canones non nisi per-
 ceptis summis fidei Christianae capi-
 tibus initiandi erant, hinc plurimi ex
 more

DE BAPTISMI DILATIONE.

more Ecclesiastico subsistebant aliquantisper inter catechumenos, ut superstitione in animis penitus oblitteratâ, adluerent Christianorum placitis ac ritibus, & in solidam cœlestis doctrinæ cognitionem penetrarent, quod adeò non improbatur. Licita quoq; fuit Baptismi dilatio, quæ adultos Catechumenos ad statuta tempora, vid. ad vigiliis Paschæ & Pentecostes, vel etiam in diem Luminum, salutari initiationi reservabat ad majorem solemnitatem. *Tertullianus*, ut fuit peculiarium sententiarum homo, Infantem in aliquam ætatem crescere voluit, antequam baptismo fitteretur: Sic n. inquit lib. de bapt. c. xviii. *Pro cuiusq; persona conditione ac dispositione atq; ætate cunctatio baptismi utilior est; præcipuè tamen circa parvulos* - - *Ait quidem Dominus: Nolite illos prohibere, ad me venire, (Matth. xix, 14.) Veniant ergò, dum adolescent, veniant, dum discunt, dum quò veniant, docentur, fiant Christiani, quò Christum nosse potuerint.* Attamen non nudè & simpliciter id postulasse videtur *Tertull.* sed suasisse saltem, & si sine periculo fieri posset, ut orationem ejus rectè attendenti patebit. *Greg. Nazianz.* quoq; Orat. III. in S. Lavac. cupiebat baptismum differri, usq; dum parvulus adolesceret, doctrinam imbiberet, & de eâ interrogatus vel aliquid saltem respondere posset; Quod n. & ipse non ita nudè asseruit, aut

fieri voluit, sed additâ hac cautione, si res ea moram pateretur, nec periculum mortis metueretur. Sic n. scribit; *Sed dicet aliquis, sint hæc de iis, qui baptismum expetere possunt, quid verò de Infantibus dices, qui quid gratia, quid poena sit, ignorant, num & illos baptizemus? Ita prorsus, si quò periculum urgeat. Præstat n. absq; sensu sanctificari, quàm sine sigillo & initiatione abscedere.* *Constantinum M.* post amplexam diu Christianam fidem dilato ex præconceptâ opinione (volebat n. in Jordane tingi,) baptismo, tandem in vitæ exodio Nicomediæ salutis aquâ fuisse ablutum, Scriptores referunt fidei probatæ, *Eusebius* l. IV. de Vita Constant. c. 61. & 62. *Socrates* lib. II. c. 26. & 39. *Sozomenus* l. II. c. 34. *Theodoretus*, l. I. c. 31. *Evagrius* l. III. c. 41. His contradicit *Nicephorus Callistus* H. E. l. VIII. c. 54. quem catervatim sequuntur Pontificii, in primis *Baronius* & *Suarez* Tom. IV. in Thom. f. 298. sed *Nicephorus* autor futilis est, in fabulis, quàm historiis, felicior. Contentundum Papistæ, *Constantinum M.* à *Sylvestro P.* Romæ multis ante mortem suam annis salutari lavacro expurgatum esse; Sed explodit hanc sententiâ ipse *Cajetanus*, quia Acta *Sylvestri*, in quibus hæc historia narratur, fabulosa sunt, & incertum autorem habent, & quia nullus historicus ejus facti meminit. Vide Tom. V. Disp. Giess. Disp. XIII. th. 67. Sic & *Constantinus*, Con-

stanti-

DE BAPTYSMI DILATIONE.

stantini filius, moriens voluit baptizari, ἀποθνήσκων ἔδοξε βαπτίζεσθαι, ut docet *Athanasius* de Synodis Arimini & Seleucia. *Theodosius major* quoq; ab Acholio Episc. Thess. serò initiatus est, de quo *Ambrosius* Orat. in Obitu ejus Tom. III. & *Orosius* l. VII. c. 33. *Valentinianus junior*, expectans baptizari ab *Ambrosio*, illo adhuc in itinere constituto, proditorum appetitus insidiis, necatus est. *Greg. Nazianz.* in virili ætate, & *Joh. Chrysostomus* anno ætatis 21. demum baptizati sunt. Ipseq; *Ambrosius* adhuc Catechumenus in Episcopū Mediolan. electus est, & demum post electionem sacro fonte tinctus. Fuit ergò in Vet. Ecclesia passiva multorum jam professorum Christianorum consuetudo, quã ad provecltorem ætatem, imò quandoque ad extremum usq; vitæ halitum, baptismū differrent, unde & multi ἐν τῇ κλίβῳ in lecto baptizati, & inde *Clinici* appellati sunt. Illorum v, qui studio & destinato consilio baptismum prorogabant, nemo Veterum ante *Tertullianum* meminit, cujus verba mox adducemus. Eam a. ob causam nonnulli, qui jam fundamentali Christianæ doctrinæ notitiã instructi erant, studio baptismum ad vitæ extremitatem differebant, simul baptizari & mori volentes, ne S. lavacro purgati, sibi iterum labem contraherent, atq; ita baptismi gratiam peccando rursus perderent, Persuasum nullis erat, per pec-

cata foedus baptismale penitus solvi, nullamq; post baptismum delinquentibus veniæ spem reliquam esse, ex malè intellecto loco Epist. Hebr. VI. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c.* (ubi, quod Græcè est Πάρι δέντες, sive illuminati, Syrus vertit baptizati,) cum Novatianis colligebant. Tales compellat *Greg. Naz.* Orat. XL. *At metuis, inquit, ne gratiam corrumpas, ac proinde purgationi moram producis, utpote nullam alteram jam ultra habens.* Alii Catechumenorum ideò diu baptismum procrastinabant, quòd post S. illud lavacrum major & periculosior in sordib; delictorum reatus foret, ut loquitur *Augustinus* lib. I. Conf. c. XI. ac proinde eò accuratius & sanctius vivendum esset. Ut itaq; eò liberius vivere possent, & peccatis indulgere, (quæ in baptismo postea remittenda sperabant,) baptismationem protrahebant. Indicat hanc procrastinationis causam *Tertullianus* lib. de pœnit. c. VI. simulq; rem ipsam graviter objurgat, hisce verbis: *Omne præterea cunctationis & tergiversationis erga pœnitentiam vitium, presumptio in inelationis importat. Certi n. indubitate veniæ delictorum, medium tempus interim furantur & commeatū sibi faciunt delinquendi.* Quidam etiam ideò moram quærebant in suscipiendo baptismo, ne peccato postea commisso, graviolem censuram, secundum Canonum de Lapsis

Lapsis

DE BAPTISMI DILATIONE.

Lapsis rigorem, experiri cogentur. Pravam hanc consuetudinem tam in Occidente, quam in Oriente usu temporis coaluisse, ait *Baronig* ad an. Ch. 377. n. 14. quâ quàm plurimi Christianorum usq; ad ætatem proveciore, ad morbos ancipites, imò ad præsentissimam ferè mortem, studio baptismum protraxerunt. Quia v. multa incommoda incautis ex ista baptismatis procrastinatione imminebant, ideò Orthodoxi Patres morem istum valdè improbarunt, inq; eum vehementer invecti sunt. *Greg. Naz.* hisce gravissimis verbis Catechumenos alloquitur Orat. cit. p. 643. *Baptizemur hodie, ne cras vi aliquâ cogamur. Ne beneficium tanquam injuriam differamus, nec expectemus, ut plura peccata congemmus, quo plura nobis condonentur.* Et p. 648 *Infans tibi est? Ne occasionem improbitas arripiat: ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur.* *Greg. Nysenus* in quocumq; Baptismi procrastinatores integram scripsit Orationem,

cujus frons est; *πρὸς τοὺς καθυμένοντες εἰς τὸ βάπτισμα, adversus eos, qui baptismum differunt.* Extat ea Tom. II. p. 215. seq. Verba ejus p. 219. hæc sunt; *Noli nimis tardando irritare baptistã, ne cum ad iram provoces, diem de die ducendo, & tempus, quod effluit, in promissis consumendo.* p. 224. Orationem his verbis concludit; *ἀπόθετε εἰς τὴν ματαίαν γράμην, οἱ ἐνταφίον της ἐν τῆς τὸ βάπτισμα.* Deponite ergò inanem vestram sententiam, qui baptismum ad exequias reservatis. *Chrysostomus* Homil. I. in Acta Ap. *Ne tempus expectemus, inquit, ne quando fiat, ut dum cunctamur, & procrastinamus, discedamus hinc inanes, tantisq; bonis vacui.* Paria ad maturandum baptismum salutaria monita extant ap. *Basilium M. Ambrosium*, aliosq; *Conf. B. Bosium* tract. de Clinicis c. II. in fine, ubi ostendit, antiquum illum morem prorogandi baptismum nondum temporibus *Lotharii & Ludovici I. Germaniæ regis* in Ecclesia desisse.

NUM. IX.

De Baptismi Loco.

S. I. **A**postoli ubivis locorum baptizarunt; & primò quidè in *fluviis & fontib;* *Joh. Baptista* baptismum suum in *Jordane* flumine ministravit, in quo & ipse fidei nostræ princeps *Christus* tingi voluit, *Matt.* III. 6. 13. 16. item in aquis prope *salè* *Joh.* III. 23. & *Philippus* Act. VIII. 38. 39. cum

Eunucho, ad hunc baptizandum in aquam, per viam publicam currentem, descendit; peractoq; negotio ex eâ rursus ascenderunt uterq;. Hinc *Tertullianus* lib. de Bapt. c. IV. *Nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo deluatur; Nec quicquam refert inter eos, quos*

D 3

Johann

DE BAPTISMI LOCO.

*Johannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit. Honorius Augustod. lib. de Gemma animæ scribit, quod Apostoli non solum in fluviis, sed & in fontibus & stagnis baptizaverint. Deinde baptismi sacramentum administrarunt Apostoli & viri Apostolici in privatis edibus, Act. ix, 18. c. x. 47. in carcere, Act. xvi. 33. Vetus quoq; Ecclesia institit huic Apostolico exemplo. Hinc *Walaf. Strabo* de reb. Eccl. c. 26. *Sciendum, inquit, primò simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes. Eusebius* l. VI. H. E. c. 5. narrat, Pasilidem confessorem ac martyrem in carcere *σφεγγίδα κυρίῳ*, signaculum Domini i. e. baptismum accepisse. (*σφεγγίδα* n. Veteres Christiani baptismū vocarunt, ut docet *Greg. Naz. Orat. xl. p. 639. & 659.*) Uti per tria priora secula & quod excurrit, Christiani nulla Tempora, nulla Oratoria, Basilicas nullas, propter horrendas persecutiones habuerunt, ita nec publica baptisteria. Extructa a primū baptisteria sunt in domibus privatis, ut refert autor vitæ Marcelli Papæ; Postea sævientibus Tyrannis fideles in locis subterraneis, in specubus, scrobibus, cavernis, &c. in quibus sacra sua peragebant, sacro lavaero suos quoq; rinebant. Licet v. in locis occultis & abditis baptismus administraretur, fiebat tñ id præsentē populo; qui preces pro baptizando sociabant; Ethoc vult *Tertullianus*, cū ait; *Manu factā am-**

bire gratiam pro baptizando fructuosius possumus. Multi in eā sunt sententiā, in initio nascentis Ecclesiæ & quidem ævo Apostolico à fidelibus baptismum esse administratum super sepulchris mortuorū, præcipuè martyrum, in testimonium & argumentū fidei, quam de mortuis certò resurrecturis concepissent. Atque ad hunc morem respexisse Apostolum I. Cor. xv. 29. *Quid facient baptizati ὑπὲρ νεκρῶν* &c. Ast licet hæc loci illius difficillimè explicatio præcipuis nostris Theologis, vñ *ἐν ἀγίοις*, placuerit, nec temerè rejicienda videatur, at tamē ejusmodi ritum conferendū baptismum infantibus vel catechumenis super mortuorū sepulchra, vel superstruendi baptisteria cineribus martyrum, ætate Apostolicā viguisse, (ita ut S. Paulus ad eum potuisset respicere,) nullā antiquitate, nullā autoritate, neq; exemplo aliquo sic baptizati hominis probari potest. *Gratis excogitatus est baptismus ille super sepulchretis, inquit B. Danbæverus* in *Ideā boni Interp. §. 79. quia is non solum in historia coævā vestigium aut volam non habet, sed historie etiam contradicit.*

§. 2. Seculo quarto Constantinus M. sub quo post decennales Persecutionum tenebras pacis & tranquillitatis lux Christianis emicuit, baptisteria in suburbio construi fecit, & etiā intra Urbem in Cælio monte (qui est unus ē septē montibus, quibus inclusa

Roma

DE BAPTISMI LOCO.

Roma fuit,)cujus BaptisteriiConstantini-
 ani elegantiam explicans autor lib. de vitis
 Pontificum in Sylvestro, dicit fuisse *Fontē*
 illum *Sanctum ex lapide porphyretico*. Et
 quamvis mos fuerit apud priscos fideles,
 collocare *Φωτισησα* extra Templū, eam
 ob causam, quod solūm per baptismum
 admittantur homines in Ecclesiam & ad
 SS. mysteria, tanq. per ostium, ut ex *Greg.*
Turon. l. V. hist. c. II. Paulino Ep. 7. & *Ste-*
phan. Durante de Rit. Eccl. l. 2. c. 19. patet.
 Hinc dicit *Cyrillus Hierosol.* Catech. I. My-
 stag. *Primum ingressi estis in porticum do-*
mus baptisterii. Et hinc quoq; *Pseudo-Dy-*
onys. c. 2. Eccl. Hierarch. part. 2. appellat
 Fontem baptismalem, *marē adoptionis*.
 Crescente tn. deinde Christianorū nume-
 ro, & cum infantes ut plurimum, dum ba-
 ptizarentur, ob imbecillitatem ætatis ab
 aëre offenderentur, in singulis Templis,
 præsertim Cathedralibus aut Parochialib; &
 singula ordinata sunt baptisteria. Extat eā
 de re decretum Clodovæi Francor. Regis
 seculo VI. quo sanxit, ut Baptisteria intra
 Ecclesiam à sinistra parte ingredientium
 in Ecclesiam, cōstruerentur, in sacellis vel
 prope *πρόναος* s. vestibulum Templi, ut
 ex *Greg. Turon.* de Miraculis S. Martini l.
 II. c. 21. constat. Erant a. baptisteria ex la-
 pide duro, non fragili seu bibulo, ne aqua
 penetraret, seu vas frangeretur. Ita Conci-
 lium Ilerdense relatam à *Buccardo* l. IV. c.
 13. & per *Ivonem* part. I. c. 208. c. 7. decrevit,
 ut *Omnis Presbyter, qui fontem lapideū*
habere nequiverit, vas conveniens ad hoc
solummodo baptizandi officium habeat,

quod extra Ecclesiam non deportetur.
 Viris v. ac mulieribus diversus Baptisterii
 loco erat assignatus, non quod plura ba-
 ptisteria essent, sed quia uterq; sexus di-
 stinctum locum haberet; Cum n. eodem
 tempore plures adulti utriusq; sexus ba-
 ptismum expeterent, quos veste nudari,
 illorum temporum consuetudo postula-
 bat, diversus ac discriminatus fuit locus,
 ubi viri tingebantur ab eo, ubi mulieres
 baptizabantur. Certa n. ligna hinc inde
 de terrā surgebant, quæ ad unum bap-
 tisterium tetendebant, atq; ita quasi dupli-
 cem fontem adeuntes viri ac foeminae, in-
 tegrā verecundiā baptizabantur. Testis est
Cyrillus Hierosol. in Cateches. suæ præfatio-
 ne, ubi monet baptizandos, ut viri cum
 viris & mulieres cum mulieribus in susci-
 piendo baptismo sese jungant. Vi-
 deatur etiam *Augustinus* lib. XXII. de Civ.
 Dei c. 8. Sic & Synodus Constantin. sub
 Menna act. I. secundum edit. prior. sive V.
 in edit. Binn. *baptisterium Neophytistarū*
 vocat, ut ab illo mulierum distinguat. Or-
 dinabantur a. ab Acolytha *masculi ad*
dexterum, foemina verò ad sinistrum latq;
baptisterii, ut ex *Gregorii M. Sacramenta-*
rio & Albino Flacco lib. de div. Offic. cap.
 de Sabbatho S. Pascha docet *Vossius* de
 bapt. disp. I. th. 8. Vestitu a. deposito, nu-
 dos Catechumenos tinctos esse multis
 comprobatur testibus. *Pseudo-Dionysius*
Areop. Eccl. Hierarch. cap. de bapt. scribit;
 quod interea dum vestes catechumenis
 baptizandis detraherentur, Presbyter at-
 tulerit sacrum unctionis oleum. *Ambrosio*
serm.

DE BAPTISMI LOCO.

serm. x. Ideò nudi, Inquit, in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum, ut nudi quoq; & expediti ad cœli januam properemus. Ast non parte tantum aliquâ corporis, sed toto corpore nudabantur baptizandi. Quia toti immergebantur, inquit G. J. Vossius l. c. th. 6. Baptismus a. sive immersio non vestium est, sed humani corporis, eò etiam, posito pudore, toto penitus corpore nudabantur, adeò, ut ne fasciam quidem, (qualè pictores honestatis causâ appingere solent) obduxisse videatur partibus pudendis. Idq; ita esse, testimoniis Veterum, v. g. Cyrilli Hieros. Amphiloebii, Chrysostomi, Elie Cretensis, Ambrosii &c. ostendit. Etiam mulieres universo corpore fuisse denudatas, idem Vossius probat ibid. th. 8. Consulebatur a. plerisq; in locis pudori foeminarû non unâ ratione; quando scil. uti dictum, separatim à viris tingebantur, deinde ministerio mulierum, quæ eas ad baptismum venientes honestè exuebant, ne quid baptizantis oculis invere- eundè ingereretur, ut indicat Epiphanius hæresi LXXIX. Honestatis quoq; causâ Diaconus baptizatæ quidem frontem inungebat, ast diaconissa ungebat corpus, ut ait Clemens, vel quisquis illas τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διατάξει, scripsit l. III. c. IV.

§. 3. Vetus itaq; Ecclesia simul ac baptisteria ac templa habuit, in illis populo præsentè baptismû administravit. Et tunc extra casum necessitatis baptizare non licuit extra Templû, boni ordinis & ædificationis causâ. Sic n. habet c. 59. Syn. Trullanæ; In eadè Oratoriâ, quæ est intra domû baptismus nequaquam peragatur; sed qui

ab omnibus sordibus alienâ illuminatione digni habendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Idem definit Concil. Meldens. Can. 48. Hic mos ita strictè servabatur, ut ipsi Reges, eorumq; Liberi in Ecclesia baptizarentur, sicut de Theodosio juniore constat ex Marci Gazensis Epist. apud Baron. Tom. VI. annal. ad an. 401. & de Ingomiro, Clodovæi Francor. Regis filio, ipsoque Clodovæo cognosci potest ex Hincmaro, Episc. Rhem. de vita S. Remigi, sed postea hoc Regum, Principumq; liberis datû est, ut domi eos baptizare liceret. Ita Clemens V. Tit. xv. de baptismo & ejus effect. Præsentè prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi regum aut principum, quibus valeat hoc in casu deferri, liberi extiterint) audeat baptizare. Idem decrevit Concil. Colonienſe Can. xv. statuim, ne minem alibi, quàm in Ecclesiâ, quocunq; loco nato sit, debere baptizari, exceptis regum filijs. Quod si v. infans cujuscunq; sine periculo ad Ecclesiam deferri non poterat, Presbytero ad hoc advocato, privatim in præsentia parentum ac familiarum, paucorumq; piorum, qui baptismi testes essent, baptizare infantem licebat. Sic Concil. Triburienſe Can. xii Si validâ infirmitate occupati & desperati ad Ecclesiam provehi non possint, loco mundo perspecto, baptismus celebretur, & procuratione Presbyteri cautè observetur & collocetur.

Delectant antiqua nimis, veterumque probati
Afficiunt animum ritus, & qui viguerunt
Inter Cultores Christi per secula prima,
Cum primis placuisse solent doctisque probisque;
Hæc animo recolens, mi Steinmeyere, diserto
Ore refers, & verba facis de Ritibus istis,
Circa Baptisimum quos observare solebant.
Hos ego conatus insignes laudo, precorque
Ut Deus omnipotens flatu te dirigat almo
In studiis, jubeatque eadem contingere finem.

ABRAHAM CALOVIUS, D.

Sedulium ut & gnavum quisquis te prædicat esse,
Est tua sedulitas sat quoque nota mihi.
Hujus & egregium Specimen præbere laboras,
Dum scandis docto pulpita docta pede.
Et dum Baptismi veteres, *me Præside*, ritus
Defendis studio, nec sine laude, pio,
Hinc te muneribus cumulabit Patria dignis,
Sudori tanto præmia multa parans.
Ipse ego de tanto conamine grator, & adsit,
Oro Deum, studiis, præsit & ipse tuis.

In honorem Clarissimi ac Eruditè docti Domini

Respond. L. M. Q. appos.

JOHANNES ANDR. QVENSTEDT, D.

PEREXIMIO ATQUE PRÆSTANTISSIMO
DN. JOHANNI STEINMEYERO,
SS. THEOLOG. STUDIOSO,
DE BAPTISMI SOLEMNIBVS
DISPUTATURO,
S. P.

PEREXIMIE ATQUE PRÆSTANTISSIME DN. STEIN-
MEYERE, Amice dilecte, De *priscis Baptismi ritibus* publi-
ce ver-

ce verba facere, tuamque *Theologicam Eruditionem* conquisi-
tam cunctis ostendere suscipis. *Bonum & laudabile factum*
id est. *Baptismus* antiquis *Φωτισμός* dicebatur. Precor igitur
Deum, ut Ejus gratia quoque tibi *Φωτισμός* sit, & maneat hoc
publicum de *Baptismo praelium Academicum*. Crescat inde
mentis lumen, & *Theologica cognitionis ardor*, ut ex egregiis
his *Exercitiis Tibi perfectionem*, olim *Ecclesiae profuturam*,
constanter colligere velis, & per Dei *Benedictionem* largius
obtinere possis! *Vale in Domino*, tuasque res felici successu,
benedicente Domino, promoveo! Witteb. d. 20. Mart. An-
no M. DC. LXXXIV,

Johannes Deutschmann / D.

Ad Praestantissimum, Eruditissimumq̄
DN. RESPONDENTEM,

Amicum & Convictorem meum per dilectum:

Dum ex *Academia nostra* discedere paras, *erudi-*
tionis ante Theologicae specimen edere in publicum
voluisti, ut *Patronis Tuis ac necessariis faceres notum*,
non incerti otio Tibi effluxisse tempus, quod in *hac illu-*
stri Musarum sede transegesti, sed partim *publicorum*
Doctorum acroasibus datum, partim *habendis ad po-*
pulum sacris sermonibus consecratum esse. Quibus i-
psis Te preparasti nobiliter ad ornandam propediem
Ecclesiastici muneris arduam functionem, ut *dignum*
Te sistas a vo materno, B. BINCHIO, nepotem. Meum
est, bene precari tam *praclaro proposito*, ac *venerari*,
sanctissimum NUMEN, ut *hi conatus tui atq̄ labores*
felicissimos eventus sortiantur. B. V.

Tuus, Politissime STEINMEIERE,

ex animo

Christianus Röhrense
e/P.P.

Coll. diss. A. 241 misc. 12
08 (0) 90